DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PNEUMONIA:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ANDREAS MILLAR M'MORAN,
Hibernus.

"Man that is born of a woman, is of few days, and full of trouble; he cometh forth like a flower, and is cut down: he fleeth also as a shadow, and continueth not."—Job, chap. xiv. verse 1, 2.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES BREWSTER.

MDCCCXXVI.

ALEXANDRO JACKSON,

ARMIGERO, M.D.

COLLEGII REGII MEDICORUM REGIS ET REGINAE

IN HIBERNIA

LICENTIATO,

ET IN EADEM

MEDICO REGIS,

QUEM IN ARTE APOLLINARI EXCELLENTIA

ANIMI BENEVOLENTIA MORUMQUE

URBANITAS,

IN ORDINEM QUEM TENET IN SUA

PROFESSIONE EXIMIUM

MERITO VINDICARUNT,

OB PLURIMA BENEFICIA

NUNQUAM NON MEMORANDA

IN SE SUOSQUE COLLATA

PAGINAS QUÆ SEQUUNTUR,

ANIMI SEMPER GRATI

TESTIMONIUM

SINCERUM ETIAMSI EXILE,

D. D. D. QUE

AUCTOR.

VIRO REVERENDO

ANDREÆ MILLAR,

DE LUNGS,

JAM PERANNOS AMPLIUS QUINQUAGINTA

CONGREGATIONIS PRESBYTERIANAE

DE CARNTALL,

IN COMITATU TYRONENSI,

PASTORI,

ANDREAS MILLAR M'MORAN,

S. P. D.

Tibi ave carissime, quae et quantae gratiae ob innumera in me collata beneficia debentur! Tantum in te amoris habeo, ut laudes tuas verbis jactantibus effere noluerim; qui enim teipsum norunt virtutes etiam norunt; qui autem te ignorant, fortasse vix nepoti tua merita eximia decantanti crederent.

Deus ille, cui tamdiu fervide ac fideliter serviisti, tibi det annos plurimos in hac terra felices; et quando (procul absit tempus) te sibi hinc sustulerit, amici cum solatio recordentur, te et ipsos, si modo exemplum secuti fuerint tuum, in regione demum hac nostra multo feliciori et meliori esse conventuros.——VALE.

AVUNCULO SUO

ANDREÆ MILLAR, ARMIGERO,

IN MILITIA TYRONENSI

DUCI,

QUI ADHUC FELICITER EXEMPLUM,

PARENTIS AMABILIS ET DILECTI,

SECUTUS EST

SUMMO CUM AMORE ET

OBSERVANTIAE,

HANC DISSERTATIONEM

OFFERT

AUCTOR.

Inflammation—(query, of the lungs?)—" the most important of
" all the diseases of the sanguiferous system, perhaps, I may say, of
" all the diseases to which we are liable."

WILSON PHILIP *on the Vital Functions*, Edit. 2. p. 278.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA.

AUCTORE ANDREA MILLAR M'MORAN.

DE HISTORIA.

QUONIAM Pneumonia; in his regionibus nostris praecipue, adeo saepe homines molestos habet, et nisi rite tractetur, in mortem tam saepe desinit, sese medici cujusque attentioni modo insigni commendare videtur.

Pneumoniae talem definitionem Doctus CULLEN edidit "Pyrexia; dolor in quadam thoracis parte respiratio difficilis, tussis." Hujus generis species duas proponit pneumoniam peripneumoniam "pulsu "non semper duro, aliquando molli; dolore

"thoracis obtuso; respiratione perpetuo "difficili, saepe non nisi trunco corporis "erecto exercendâ; faciei tumidae colore "purpureo; tussi plerumque humidâ, saepe "cruentâ;" et pneumoniam pleuritidem "pulsu duro, dolore, plerumque lateris, "pungente, sub inspiratione praesertim "aucto, decubitu in latus molesto, tussi "dolentissimâ, initio siccâ, postea humidâ, "saepe cruentâ." * Hoc autem discrimen, uti in annotatione in sua Nosologia, atque in suo libro "First Lines" † vernacule appellato ait, quasi nullius utilitatis, respiciens, nomine Pneumonia cunctas inflammationes vel viscera thoracis vel membranam ei cavitati internae obductam corripientes, intelligi voluit. Hanc rationem de istis speciebus agendi plerique scriptores a temporibus CULLEN magni persecuti sunt, neque eam accuratam esse, me judice, dubitari potest; si in memoriam revocetur, quam arctum nexum pleurae cum pulmonibus, hos ubique nisi ad introitus vasorum complexi ha-

* Nosol. † Lib. 2. chap. vi. sec. 541.

beant, si meminerimus, quam proclives sint membranae serosae ad eas inflammationes quae viscera inibi contenta plectunt nonnulli, Doctus CULLEN praesertim, verisimile esse arbitrantur, inflammationem quamque in partibus membranosis ortum habere.

Pneumonia fere semper a pyrexia bene notata incipit; dolor est lateris vel pungens vel acutus, nunc lineis variis emicans, nunc parte aliqua cohibitus; modo latus, modo dorsum infestans; aliquando stabilis, aliquando vagus evadit; siquando fixus perstat, fere circa costam sextam aut septimam inhaeret: latus thoracis sinistrum ab aliis, dextrum ab aliis saepius tentare dicitur. Dyspnoea plerumque immanis est spiritu pro gradu inflammationis imperfectiùs ac crebrius tracto, et pro situ corporis diverso vel ingravescit vel sublevatur, et plerumque sub inspiratione molestior sentitur, nonnunquam spiritus, anxietate comitante, opprimitur et laborat. Tussis plus minusve vehemens pneumoniam raro incomitatam dimittit; haec inter initia fere sicca est; interdum humida, et saepe cruore distincta. Pulsus item aegris diversis diverse micat;

quippe qui saepissime plenus, durus creber, attamen aliquando, etsi raro in Pneumonia idiopathica, neque plenus, neque creber sit. Cutis arida est et sicca; facies incipio plerumque praeter naturam rubet. Lingua alba, scabra, et sicca est, alvus fere abnormis, nunc admodum astricta, nunc soluta. Urina parca et rubei coloris.

Si remedia prompta, ab initio, ad dyspnoeam, tussim indiciaque febris sublevanda, exhibita sint, morbum in resolutionem esse desiturum speretur. Si symptomata haud gravissima fuerint, morbusque pleuras solum tentaverit, per adhaesionem inter pleuram superficiei internae costarum obductam et eandem membranam, quae pulmones reflexa tegit, factam, desinere potest.

Si autem indicia per aliquot dies graviora, fuerint, vel post diem septimum aut octavum perstiterint, neque rationi medendi institutae cedere videantur, suppuratio metuenda erit. Si demum gravissimus sit morbus, etsi raro, tamen nonnunquam in gangraenum abit ; hydrothoracem item efficere posset. Quaedam praeterea sunt rationes desinendi pulmonum inflammationi

proprius; exempli gratia; sanguinis vel seri in ipsorum substantiam effusio, quae generatim, ut opinor, lethalis evenit: Hepatizationem quoque inter has recensere oportet. Uti jam diximus hoc vitium per resolutionem, adhaesionem, suppurationem, gangraenam effusionem, hydrothoracem, atque demum hepatezationem finem sibi quaerere potest.

De Resolutione.—Resolutio accidisse dicitur, siquando, postquam indicia pneumoniae per aliquod tempus, a die tertio putà ad septimum, aut multo diutius perstiterint, vel virium naturae medicatricium vel, quod verisimilius est, remediorum tempestive adhibitorum beneficio. Tussis minor ac simul solutior evadit, sputo modice spisso, copioso, albo vel flavo, comitante, fortasse pauxillo sanguinis striato; cutis humida fiat, sudore calido halituoso et generali deducente quem aeger bene fert, unde multum sublevaminis percipitur, pulsusque mollior tardior et modice plenus evadens, lingua et os madescunt. Respirationes, antea a triginta sex ad quadraginta vel plures in horae parte sexagessima peractae, ad normam naturalem, octo-

decim aut viginti in eodem spatio, redigun-tur liberè quoque et facilitate naturali fac-tae, nullo dolore infestante. Urina rubra, atque sedimentum copiosum demittens, necnon diarrhoea post diem quartum vel quintum accedens, putantur eventum criti-cum indicare; postrema vero rarior est; quamvis fortasse acria quaevis alvo ejicien-do proficiat. Profluvium sanguinis ex ali-qua corporis parte, vasa nimium distenta exonerando prodesse queat; exitus per glandulas parotideas tumefactas, itemque per eruptionem super cutem rarissimi sunt, ideoque vix jure inter rationes desinendi recensentur.

De Adhaesione.—Quum inflammatio pleu-ris cohibita est, vel pleuram pulmonalem oc-cupavit, pulmo ipse incolumis effugiat, lege scilicet generali latâ, inflammationem ubicun-que sitam ad superficiem vel partem corporis externam usque spectare; atque inflammatio hic sita, non in resolutionem sed in adhaesio-nem desinat, neque functiones partis multum impediat; namque lymphâ coagulabili effusâ in superficiem pleurae pulmonalis adhaesio eam inter et pleuram costalem fit, quae nisi

major sit, multos per annos perstare potest, uti a plurimis cadaveribus inspectis descimus, nullis ejus indiciis inter vitam sese in conspectum prodentibus.

De Suppuratione.—Quum inflammationis symptomata vehementiora fuerint, neque ante diem septimum vel octavum sublevata, vel leniora existentia ; tamen ad diem duodecimum aut quartum decimum vel etiam diutius perstiterint; suppurationem praemetuere licet, quam quidem antecedit spiritus praesertim in latus sanum vel dorsum decumbenti gravior ; atque suppuratio sine dubio accessit, si, post horrores, dolor, nullo profluvio critico comitante, mitescit; et in sensum ponderis commutatur ; pulsus crebrior et mollior evenit ; tussis permanet ; dyspnoea cum febre hecticâ importuna urget. Quotiescunque inter pleuras pulmonalem et costalem pus locum habet, ibi vasis pleurarum inflammatarum secretum, vel eò vomicâ ruptâ delatum, empyema vocatur indiciis supradictis accidentibus, sensu fluctuationis in thorace et fortasse tumore levi inter aliquas ex costis, ubi pus lateat, indi-

cante, adjectis : vomica verò dicitur, quando abscessus in pulmone ipso insidet, et symptomata antè proposita hic conspiciuntur.

De Gangraena.—Haec rarior desinendi ratio est, si vero pneumoniam signa vehementissima inflammationis comitata sunt, nec remediis solitis cesserunt, gangraena forte accidere queat ; eam pulsus deficiens praegreditur ; sputum tenue et ichoris instar eliminatur. Hâc urgente, pulsus debilis et intermittens, sudores frigidi et glutinosi observantur ; dolor finitur ; halitus oris foetet ; facies pallescit, et aspectum quendam insignem induit ; sub finem singultus, visus defectus, stupor superveniunt.

De Effusione. — Haec plerumque post dies duos vel tres inflammatione peripneumonica vehementi occupatos accedit ; Doctor Cullen nihilominus in suo opere " First Lines" sectione cccl. ait eam sine ullis inflammationis symptomatis vehementibus accidere posse. Talem exitum plerumque vel omnia indicia vel quaedam evidentor exacerbata antecedunt ;

dolor saepe latius per thoracem sentitur; dyspnoea augetur; aeger vigiliâ majori, vel quod rarius est, aliquanto. comatis aut delirii plectitur; tussis importunior urget; sputum sanguine largius mistum est, atque ob bronchia muco viscido obstructa, vel ob debilitatem auctam difficiliùs e pectore excreatur. Hanc descriptionem praeclarum WILSON PHILIP tradidit, et Doctus CULLEN, postquam dixerit, copiam seri aut sanguinis effusi, ejus judicio, potius quam debilitatem corporis causam esse cur sputum praegressum desinat, haec porro habet dicta.* "The effusion taking place may seem "to remove the symptoms of inflammation, "which had appeared before, and thus ac- "count for the unexpected fatal termina- "tions which have sometimes happened; "possibly this effusion may account also for "many of the phenomena of Peripneumo- "nia Notha."

De Hepatizatione.—Hunc statum inflammatione praegreditur, quae post aliquod

---

* First Lines, Sect. 350.

temporis spatium desinit, lympha coagulabili e vasis effusa in pulmonis substantiam, quae cellulas aëris agglutinat et occaecat, adeo ut aër viam sibi nullam in istam pulmonis partem efficit eatenus corpori inutilis fiat.

Quae Cadavere Patefacto, Conspiciuntur.—Pleurae inflammatae densiores fiunt; vasa sanguine florido referta per substantiam earum, stratumque lymphae coagulabilis in superficiem Pleurae Costalis effusae, inveniuntur. Humor quoque sero purulentus cum lympha coagulabili commistus reperitur. Pleurae, quam ullae membranae serosae cavis circumscriptis obductae inflammationi magis patent. Hujus rei Doctor BAILLIE in suo libro "Morbid "Anatomy"* dicto rationem reddit, eam rejiciendo ramulis plurimis arteriarum intercostalium cum vasis externis in lateribus thoracis per anastomosin commeatum habentibus; "Hence," ait ille, "Whatever "may act upon these external vessels, so as "to excite contractions in them, may be

---

* Editio 2da, pagina 48, et seq.

"supposed capable of producing an accu-"mulation of blood, as well as an increased "action in the inner branches of the "intercostals, many of which are distribut-"ed upon the Pleura." Hos effectus jure dicit a ratione vestiendi quam nostrates adhibent, a temperie coeli nostri admodum mutabili, et facilitate qua corpus frigori nocivo objiciatur, unde sanguis saepe in vasa minuta pleuris distributa intropellitur, verisimiliter oriri posse. Quando pulmones ipsi inflammantur, vasculis multo pluribus solito referti sunt; alia loca rubra; alia nigra videntur. Adhaesiones inter pleuras pulmonalem costalem adeo saepe reperiuntur, praecipue ad partem superiorem et posteriorem, ut, sicuti Doctor BAILLIE dicit, pauca adultorum cadavera incidantur, quin adhesiones inter pleuras detegantur, Doctus MONRO idem docet. Empyema quoque post suppuratione ortum reperitur, ob pus vel inter pleuras secretum, ulceratione non necessario comitante, vel in id cavum vomica rupta effusum; hoc nonnunquam adhaesione pleurarum circa pus facta circumscribitur. Abscessus saepe in parenchymate pulmonum

recluduntur ; qui nunc in cavum thoracis, ut jam annotavimus, empyema constitituentes, nunc in bronchia viam sibi aperiunt. Abscessus, si modo constitutio sana fuerit, fere semper lympha coagulabili circumfusa cohibetur. Gangraena exempla raro spectantur ; unum tantummodo vidi in aliqua, quae subito in Nosocomio Regio Edinensi morte abrepta erat. Pulmones nigri erant, et insigniter molles et laceratu faciles. Serum vel sanguis in substantia pulmonum pariter in bronchiis et in tela cellulosa, quae haec conjungit, effusus saepe reperitur; plerumque hujusmodi effusio post aliquot dies inflammationis ardentis accidit, et pulmonibus manu compressis, serum praecipue, haud parum copiosè exudat. Hydrothorax adeo saepe invenitur, ut de illo aliquid dicere nil opus est. Pulmo, vel saltem pars ejus hepatizatione indurata,haud raro observatur ;quod prius ab inflammatione latius patente, deinde copia magna lymphae coagulabilis in pulmones effusa oritur, unde substantia eorum, haud minus quam hepatis dura evadit.

De Causis Prædisponentibus. — Hae iu-

ter se multum discrepant. Ii plerumque qui inflammationibus generatim patent, Pneumoniae impetui obnoxii sunt, sive hoc pendet a constitutionis habitu insigni explicatu difficili, sine a vita deside victuque lautiore, quae ambo ad plethoram proclives reddunt. Mares prae feminis, admodum juvenes et senes nequaquam adeo saepe ac homines aetatis mediae, aggredi fertur. Qui jam isto malo tentati sunt, ei redituro eo magis objiciuntur. Thorax male conformatus, causaeque omnes quae exinanitiones solitas per cutem praecipúe cohibent, quodcunque demum sanguinis cursum generalem, ideoque per pulmones circuitum adauget, proclivitatem ad Pneumoniam impertire possunt. Nonnulli his adjiciunt tubercula pulmonum, constitutionemque strumosam, quae tamen potius inter causas pthiseos pulmonalis collocari oportet.

De Causis Excitantibus.—Temperies coeli nostri mutabilis effectus suos uti causae Pneumoniam cientis heu nimium multos edit. Frigus corpori summo admotum exhalationem per cutem cohibendo,

fluxumque sanguinis ad pulmones augendo hoc malum ciere queat. Frigus quoque topice admotum veluti per spiritum inhalatum inflammationem membranae mucosae bronchiorum, inde ad pulmones ipsos serpentem excitare potest. Frigus quoque partibus quibusdam còrporis, veluti pedibus, appositum, ratione quâdam adhuc ignotâ, Pneumoniam suscitare queat. Acria in pulmones inhalata ; exercitationes ejus organi immodicae uti in cantando, instrumenta musica inflando, &c. laesionesque parietum thoracis, eruptionesque repulsae nunc morbum suscitant ; nec nonnullae ex causis inter praedisponentes recensitis * " if applied suddenly, and to a " great degree, may act as exciting causes."

De Causa Proxima.—Hae eaedem sunt ac quae inflammationes caeteras constituunt ; sine ex sententia a † WILSON PHILIP prolata a debilitate capillarium partis et actione aucta arteriarum vicinarum, vel uti ait ‡ THOMSON, prius ab

* WILSON PHILIP on Sympt. Fevers, Vol. IV. p. 120.
† Idem on the Vital Functions, p. 288, et seq. Edit 2d.
‡ THOMSON's Lectures, p. 68.

actione aucta deinde debilitate capillarium, vel, quod verisimilius videtur et a HUNTER * docetur, ab actione aucta veluti causa sola oriatur; haec opinio postrema a BOSTOCK † in suo libro elementario de physiologia bene sustineri videtur.

De Diagnosi.—Jam antea diximus admodum difficili esse, et forte felici haud multum referre, inter peripneumoniam, pleuritidem, paraphrenitidem, mediastitidem et pleuritidem veram seu inflammationem membranae serosae costis obductae discrimen instituere; his profecto carditidem adjici, haec tamen pyrexia graviore cum cordis palpitatione syncope, dyspnoea magna, pulsu abnormi fortasse discerni posset. Omnia indicia alia eadem sunt, et etiam quae jam proxime dixi utrisque morbis interdum adesse repeiuntur. Peripneumonia notha aliquando errore pro Pneumonia habita est. Sed in priori febris non adeo ardet, nunc tussis nulla, nunc vehementissima instat; copiaque muci ingens ejicitur, saepe vomitus cum dolore capitis saevissimo instat. Vomitus

* On the Blood, Inflammation, &c. p. 282.

† BOSTOCK's Physiology, Vol. I. p. 426.

ac capitis dolor optimum discrimen faciunt, quippe qui raro Pneumoniam comitentur. Aetas habitusque aegrorum diagnosin multum adjuvabunt, quoniam Pneumonia juniores et robustos, peripneumonia notha contrà seniores et imbecillos aggreditur; haec autem in Pneumoniam veram irruere potest. Catarrhus quoque pro Pneumonia errore habita fuit; sed in priori symptomata non adeo saeva sunt, neque dyspnoea ita gravis; dolor quoque multo obtusior est et sensum quasi angustiae aut ardoris potius quam dolorem refert; adsunt quoque destillatio aquosa e naribus, hebetudo oculorum et capitis gravedo insignis. Catarrhus item in Pneumoniam abire queat.

Affectio pleurodyna sive rheumatica musculorum intercostalium a Pneumonia dignoscitur, sede doloris vestigia musculorum persequentis, et eorum actione, uti inspiratione aucti, praeterea nulla tussis est aut sputum, et febris, si ulla, levissima comitatur.

Hepatitis acuta necnon facili errore pro Pneumonia duci queat. Symptomata diagnostica quae tradunt auctores sequuntur. In

hepatitide dolor hypochondrium dextrum occupat, et saepe ad claviculam aut scapulam pertinet, et pressura augetur; tussis hepatica sputo vacat, sicca enim et rauca est; decubitus in latus sanum difficilis; vomitus frequens et singultus. Quando inflammatio superficiem jecinoris convexam corripit, saepissime ad pulmones serpit, et deinde, ex usu symptomata Pneumoniae cum signis hepatitidis conjuncta conspiciuntur.

De Prognosi.—Haec in toto de signis pendet, in tractando de terminatione singula, symptomata accurate memorata sunt e quibus bonus eventus sperandus est, et quoque cur de salute desperemus.

De Ratione Medendi.—Venaesectionem liberam spem certissimam omnium in Pneumonia curanda esse. Quo tempore sanguis detrahi debeat, disceptatum est; de ejus detrahendi utilitate inter dies tres vel quatuor priores non omnino ambigi potest, tum enim detractio una copiosa forsan morbum compescat; sed quidam post diem quartum venam secare prohibent; si vero dolor lateris, spiritus difficilis, tussis et caetera,

molesta perstant, certe crudele foret, si haec remedio solo, sanguinis detractione scilicet, sublevare, abnegaremus. In Nosocomio Regio Edinensi venaesectionem cum summa utilitate die nono vel etiam diutius post primum impetum adhibitam vidi; sed quum signa suppurationis factae eduntur, et nonnulla indicia inflammatoria adhunc adsunt, sanguinis detractionem generalem instituere haud conveniet, potius topicam adhibere decet. Copia quoque detrahenda praescripta est, sed hanc ab aetate, viribus et constitutione aegri necnon a vehementia symptomatum urgentium niti oportet.* SYDENHAM bene annotavit "Venaesectionem repeto, ubi scilicet, dolor atque alia sympto-"mata admodum saeviunt." † Doctor CULLEN eadem praecipit ratio instituendi, et suasores repetendi venaesectionem quoque diverse traduntur. Quum ad hoc remedium confugitur, consilium est, copiam sanguinis per partem affectam circumacti, prius circuitum generalem temperando, minuere,

* Opera Universa, Sectio sexta, cap. 3d, p. 266.

† First Lines, Lib. II. chap. vi. sect. 363.

ostium igitur unde sanguis effluxurus est, magnum esse debet, quoniam quo celerius sanguis detrahatur, eo citius capillaria sese contractura sunt, sed quum plaga parva est, eadem copia lente effluens nequaquam effectum eundem praestabit, ac si apertura majori educeretur, ut enim verba Doctissimi GREGORY citem,* "Lentis enim exinanitionibus vasa mirum in modum se accommodant." Nonnulli ad animi deliquium nostrum remedium pervehere jubent et hunc eventum adeo solicite cupiunt, ut aegrum erectum servent. WILSON in suis praelectionibus de sanguine ait † "And as it is temporary not permanent weakness which we wish to produce in those cases," (in inflammationibus scilicet generatim tractandis,) "it is proper to recollect that this temporary weakness will take place sooner, and by the loss of a less quantity of blood, if the blood is removed from the patient when in an erect posture." A Professore Docto in

* GREGORY' Conspectus, Editio 7a, Lib. 150.

† Lectures on the Blood, by J. WILSON, p. 333.

hac Alma Academia Doctore ALISON bene annotatum est, quod aegro erecto, ubi, uti in Pneumonia sanguinem detrahere necesse est, syncope post per paucas uncias tantummodo detractas accedere, renixusque adeo celeriter effici possit, ut parum aut nil allevaminis percipiatur; ideoque melius esse dicit, sanguinis copiam ab aegro decumbente pro viribus, aetate et cetera, abstrahere, et deinde eum in situm erectum levare, donec nausea et caetera, signa syncopes adveniant. Haec praecepta Doctoris ALISON servare decet, dum enim nausea adest, impetus sanguinis fere languet, quod vehementer optandum est; porro ob parum sanguinis in capillaribus circumactum, haec pariter ac vasa minora cruorem rubrum vehentia sese contrahent. Indicia venaesectionis repetendae diversa tradita sunt, inter alia crusta coriacea, quod signum certe optimum est, cum ratio symptomatum et pulsûs simul habetur. Crustâ coriaceâ primum observata et post venaesectionem alteram vel tertiam absente, morbum sese resoluturum esse sperare licet. Sed crusta coriacea saepe conspicitur ubi nullum aliud in-

flammationis signum adest, verbi gratiâ, in gravidis, et in nonnullis constitutione quadam singulari praeditis et WILSON* nos certiores facit, quod, ubicuncque pulsus durior est et celerior, sanguis plerumque viscidus sit, et si eum in omni hujusmodi exemplo abstraheremus, saepe mali haud parum inferremus, quippe qui pulsus haud raro in hominibus mobilibus alioquin sanis conspiciatur. Si post venaesectionem pulsus plenior fit et validior, eandem operationem iterum vel iterum postea quoque repetere, si modo symptomata postulaverint licebit.

Aspectus urinae nonnunquam dux est in curando; si enim urina parca est, et coloris eximii concausa est cur sanguinem detrahamus; necnon conditio linguæ muco albido, crustato obductae. Ubi symptomata (uti indicia propria sunt) saeviunt admodum, sive in hebdomade primo, sive secundo ad venaesectionem confugere oportet. Si vero indicia non ita vehementia inflammationis post hebdoma primum perstiterunt, et scal-

* Lectures on the Blood, &c. p. 331.

pellum a principio adhibitum erat, sanguinem topice per hirudines aut cucurbitulas cruentas, quam generaliter per chirurgi scalpellum detrahere melius conveniet; atque etiam indiciis suppurationis sese prodentibus, et aliquanto inflammationis adhunc praesente, ut haec minus serpat, detractio localis proderit, et si vel revera suppuratio incesserit, hac prae generali adhibita inter stadium morbi suppurationem proxime antegrediens, vires non adeo franguntur, quin verisimillime, affectibus suppurationis obsistere possint. Sicubi profluvium sponte accidens symptomata sublevat, venaesectio forsan non necessaria foret; si vero accidat illud, neque tamen levamen sentitur ab aegro, et indicia sanguinis detractionem flagitantia adsint, profluvium spontaneum ne nos deterreat. Sed in sanguinis detractione adeo, ac morbus de quo agitur fere postulat, liberâ usurpandâ, praecavendum est, ne usu ejus nimium libero, tantum debilitatem inferamus, ut sputum excreavi nequeat; Hydrothoracem quoque ita inducere possumus, cujus rei quidem Dr Paris in Tomo Priori suæ Pharmacologiæ exemplar insig-

ne tradit; porro si venaesectio aliare remedia depletoria post suppurationem factam multum usurpata sunt, Pthisis Pulmonalis sese sequelam praestare potest.

Quando, sanguine detracto, pulsus mollior evasit, vesicatorium magnum super partem dolentem imponatur, annotatum est bene celeberrimo HOFFMAN* "Setacea et "vesicatoria non facile applicanda in ple-"thoricis, nisi soluta prius plethora; et al-"vo praesertim in cacochymicis, subducta:" Si unum parum profecerit, nonnulli repetendum censent, parte tamen aliquantum sanescere permissa, alii unguentum sabinae, unguentum resinosum et caetera ad fluxum humorum sustinendum applicare suadent. Vesicatoria tamen repetere meliùs convenire repertum est.

De catharticis exhibendis disputatum est, sed jam, ut opinor, nemo praecipit ea, nisi ut alvum facilem teneant et ab acribus incolumem, quae aliter in iis permanerent, et irritationem facesserent. Vaporis aquosi inhalatio ad initium multum prodest, vasa

---

* Medicinae Ration. System, T. IV. Part 1. sect. 2.

bronchiorum relaxando, ita ut mucus libe-riûs effundatur, tussique aliter perpetuae obveniatur. Portiones antimonii tartratis, quales nauseam inducant, saepe cum magno beneficio adhibentur, quippe quae sputum promoveant, et cutem solvant et impetum sanguinis minuunt.

Uti expectorantia, misturae mucilaginae, vel quaevis leniter demulcentia, et ventri-culum non onerant, in stadio inflammato-ria usurpanda sunt; sed si sputum elimi-natum viscidum est, et signa inflammatio-nis pene vel penitus recesserunt scilla aut ammoniacum adhiberi queat. Digitalis a quibusdam laudata fuit, sed jam, uti cre-do, raro prodesse reperitur, nisi cum pul-sus celer acris, ut saepe fit, dum aeger con-valescit, adest. Nisi tali tempore, illud be-neficium, quod praestare credebatur, non praebet, et incommodum grave habet, pe-riculum scilicet, ne in corpore accumuletur. Acidum Prussicum uti sedans remedium adhibitum fuit, et nervos non arterias af-ficere repertum est; prodesse putabatur, primo effectu, irritationem minuendo, se-cundo, actionem vasorum partis irritatione

auctam temperando, ipse tamen id abhibitum vidi, operationemque ejus sedulo observavi aliquando, sed rarissime, et pro tempore brevissimo levamen dare videbatur. Opium item praescriptum est ; et quum signa inflammationis evanuere, et sputum tenuissimum effertur, sensibilitatem minuendo, et proclivitatem ad tussim frequentem temperando prosit.

In stadiis posterioribus, ubi dyspnoea febrisque minores fiunt, tussi adhuc, cum dolore majore vel minore et pervigilio perstante, opiata lenia tuto et cum beneficio adhibentur ; ita * Doctores CULLEN et † WILSON PHILIP arbitrantur. Conium multum laudatum est Dr PARIS, sed nunquam mihi, aequum periculum hujus medicinae factum videre occurrit. Temperies cubiculi aegri modica circiter gradum 60mum secundum thermometrum Farenheitianum servari debet. Stragula non nimis gravia sunto. Victus levis esse debet, et quam minimum cibi in stadio inflammatorio su-

---

* First Lines, ut antea, Sectio 375.

† On Fevers, Vol. IV. p. 135.

matur. Dum aeger convalescit, diaeta levi ex frugibus precipuè, carne caute, si omnino, sumpta, contentum esse oportet. Ab exercitatione nimia et frigore praecavere debet. Indusium laneum cuti proximum si praesertim coelum frigidum est, gerere necesse fiet; aegrumque demum, quippe qui morbo redituro maxime obnoxius, sit, omnimodo cautum esse oportet.

Denique, in fine sperare liceat, errores, quicunque meum judicium fefellerint, experientiae parcae neque omnino desidue aut fastidio laboris quo scientiâ potitus essem, tributos fore.

FINIS.